

**Ov.met. 4,145-165**

**Text Original:**

pallidiora gerens exhorruit aequoris instar,  
quod tremit, exigua cum summum stringitur aura.  
sed postquam remorata suos cognovit amores,  
percutit indignos claro plangore lacertos  
et laniata comas amplexaque corpus amatum  
vulnera supplevit lacrimis fletumque crux  
miscuit et gelidis in vultibus oscula figens  
"Pyrame," clamavit, "quis te mihi casus ademit?  
Pyrame, responde! tua te carissima Thisbe  
nominat; exaudi vultusque attolle iacentes!"  
ad nomen Thisbes oculos a morte gravatos  
Pyramus erexit visaque recondidit illa.  
'Quae postquam vestemque suam cognovit et ense  
vidit ebur vacuum, "tua te manus" inquit "amorque  
perdidit, infelix! est et mihi fortis in unum  
hoc manus, est et amor: dabit hic in vulnera vires.  
persequar extinctum letique miserrima dicar  
causa comesque tui: quique a me morte revelli  
heu sola poteras, poteris nec morte revelli.  
hoc tamen amborum verbis estote rogati,  
o multum miseri meus illiusque parentes,  
ut, quos certus amor, quos hora novissima iunxit,  
conponi tumulo non invideatis eodem;  
at tu quae ramis arbor miserabile corpus  
nunc tegis unius, mox es tectura duorum,  
signa tene caedis pullosque et luctibus aptos  
semper habe fetus, gemini monimenta crux.  
dixit et aptato pectus mucrone sub imum  
incubuit ferro, quod adhuc a caede tepebat.  
vota tamen tetigere deos, tetigere parentes;  
nam color in pomo est, ubi permaturuit, ater,  
quodque rogis superest, una requiescit in urna.'